

predictorum sanctorum Pontificum.

24 ¶ Secunda limitatio est, quod hæc auctoritas omnimoda solum se extendat ad auctus Episcopales, qui non requirunt ordinem Episcopalem, ut absolvere à casibus de Cæna Domini dispensare in votis, & in irregularitatibus, & in impedimentis Matrimonij iure diuino, aut naturali non prohibitis, de quo verbo Dispensatio. Et verbo. Infidelium conuersio.

25 ¶ Tertia limitatio, quod tandiu duret, usque dum aliud per Sedem Apostolicam fuerit ordinatum. Sed re vera eiusmodi verba & similia perpetuitatem quandam important, ut patet. cap. si gratiosè, de Rescrip. in. 6. de quo verbo Episcopus nu. 7. Et confirmatur per non obstantias quas ponit prædictus Põtifex his verbis. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, præsertim Sixti 4. incipienti, & si dominici gregis. &c. ac Bulla Cæne Domini, ceterisque in contrariū facientibus quibuscunq;. Et quod hæc facultas omnimodè potestatis non reuocetur per Bullam Cæne Domini manifestum est per ea quæ supra diximus, fo. 124. & docet pater frater Emanuel in Expositione Bullæ.